



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De rustico in Heymersbach, fornaci incluso, & per sa[n]ctum Iacobum  
liberato, cap. 7.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

uerso, ne alicui seculari de cætero manus imponeret, præcepit. Ex illa hora in eo cessauit virtus miraculorum. Hæc mihi ante hoc biennium, cum essem in Eberbacho, a monachis recitata sunt: ego verò virum sanctum adij, & cum rogassem eum, vt pro me oraret, simpliciter respondit: Quotidie oro pro te & pro toto mundo.

## CAPVT VI.

**R**etulit nobis nuper Abbas quidam ordinis nostri de quodam monacho, cui tanta a Domino concessa est gratia, vt virtute vestimentorum eius multi sanarentur. Sæpe, si tamē adhuc viuir, dum fratres vestes eius induunt, vel cingulo se cingunt, sanantur. Quod cum quodam tempore eius Abbas considerasset, nec aliquid specialitatis in illo vidisset, his verbis eum secretius allocutus est: Dic mihi fili mi, quæ est causa tantorum miraculorum? Respondit ille: Nescio domine, nō plus cæteris fratribus meis oro, non plus vigilo, non plus ieiuno, non plus laboro, sed vnum scio, quòd me non potest extollere prosperitas, neq; frangere aduersitas, siue de persona mea sit, siue aliorū. Cui cum dixisset Abbas: Non te turbauit, q̄ miles talis nuper grangiam nostram incendit? Respondit: Non, totum enim Deo commisi: si modicū habeo, cū gratiarū actione accipio; si multum, iterum gratias ago. Et cognouit Abbas quòd causa tantæ virtutis esset amor Dei, & contemptus rerum terrenarum. Sanctæ virtutes, fides videlicet, spes, & charitas, iustitia, humilitas, obedientia, zelus disciplinæ, atque compassio, sæpe gloria miraculorum remunerantur, sicut subsequētib; declaratur exemplis.

## CAPVT VII.

**I**vxta Coloniam duæ generationes rusticorum inter se graues satis inimicitias exercebāt: ex quibus vna infirmior, in castrum vicinum Hemersbach se transtulit, de quo partem aduersam satis damnificans, cum die quadam vnum ex eis cœpissent, volentes tres ex eis pecunię aliquid ab eo extorquere, dicebant: Si non dederis nobis pecuniam, puniemus te.

Quibus

*De fide.*



Quibus ille respondit: Tres obulos habeo, emite eis cuneos, & comedite, quia nihil amplius habebitis, fidemque habens in Deo, & in sancto Iacobo, subiecit: Quinque marcas domi habeo in cista mea, & calceamenta noua, quibus limina petam S. Iacobi, non vobis dabo illam pecuniam: in die sancti Stephani profecturus sum, & ante ortū diei a vobis recessurus. Mirantibus eis verborum constantiam, duos illi compedes imposuerunt, & in fornacem illum mittentes, octo viros nocte illa ad custodiam ei deputauerunt, quem semel, ac secundò interrogantes, vtrum adhuc ibi esset, & ille tot vicibus respondisset, etiam adhuc sum: his tertio eadem sciscitantibus, nihil respondit, quia virtus fidei iam illum clausa fornace eduxerat. De spe in superioribus multa dicta sunt, virtutem vero charitatis, sequentia declarabunt.

## CAPVT VIII.

*De Charitate.*

**A**Bbas quidam ordinis nostri, monacho suo infirmo præcepit carnes manducare: ille mox obediens, licet inuitus, Abbati respondit, dicens: Ego vos rogo in charitate eadem, vt mecum illas comedatis. Qui statim deprecanti consentiens resedit, morsellum de scutella monachi tulit, & comedit. Sequenti die, si bene memini, in ecclesiam, vbi homo a dæmonio vexabatur deuenit, rogatus a circumstantibus, vt dæmonem adiuraret, in hæc verba prorupit: Adjuro te immunde spiritus in hac charitate, qua pridie propter monachum meum carnes comedi, vt excas ab hoc homine: qui mox ad idem verbum exiuit, & fugit, ac si charitatis incendium sufferre non posset. Quantum Deo charitas placeat, ex inobedientia plenius ostenditur.

## CAPVT IX.

*De inobedientia.*

**A**Lius quidam Abbas, cum haberet monachum infirmum, vt ad recuperationem virium, carnes comederet præcepit: sed ille pertinax nimis, præcipienti non acquieuit. Vt autem Deus ostenderet meliorem esse obedientiam, quam stultorum victimas, inobediens monachus mox in rabiem versus,